



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Hildegardis V. 17. Septembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

bant. Et ecce navim conscendit SATY-
RVS, sed non sine armamentis. E collo
Angelorum panem suspendit. Mox
venti insurgunt & fluctus navim expu-
gnant. At SATYRO naufrago non
commeatus, non vela, remi, malus,
non anchora deest, omnia hæc adsunt
in SS. Eucharistiâ. Illo succollante,
quem collo ipse ferebat, emergit, &
Anathema templo ipsum Servatorem
suum gratus donat. Credidit in portu
se esse; & fuit, non tunc quidem, sed
paulò post, cum beatâ morte defunctus
est. Verùm tunc naufragum Ambro-
sium lacrimis vidisses, *Ex ipso D.
Ambros.*

S. HILDEGARDIS V.

17. Septembris.

Nescio quid de HILDEGAR-
DE sentiendum, mundumne de-
seruerit, an potiùs nunquam fuerit in
mundo; quippe IIX. annorum virgini-
cula inter virgines sacras adlecta. Cæ-
lestia ab ipsis cunis videre habuit, nu-
tuque hæc prodidit, quando sermone
non potuit. Literas, quas nunquam di-
dicit, scripsit tamen, easque non suâ
linguâ: atque ut cantaturam scires o-
lim, quod canere alii desperabunt, car-
men, jam tunc absque doctore scitissi-
mè modulabatur. Vatum etiam sacro-
rum oracula fideique nostræ volumina
leg-

K k 3

legebat & explicabat puella, ut ipsissimam seculi illius Sibyllam Bernardus laudaret, & in concilio Rhemensi Eugenius PP. probaret. Cæterum visa celestia morbus comitabatur fere continuus, qui castigabat scilicet timidam, quoties proderet hominibus monita celo data negligeret; fuitque, cum lecto affixam ita undique oppugnarunt dolores, ut cedere anima & velle deditionem facere jam jam videretur. Sed præsidio Angeli venerunt è Primipili Michaëlis cohorte, qui atros Genios unaque morbos omnes in fugam egerunt. Dum porro vixit, mira egit innumera, lynceoque vultu ipsas cordis latebras inspexit, sensaque animi obtutu suo deprehendit. Funus illustravit iris gemina in celo visa, hanc lux coronabat lunæ circulum referens, quem itidem crux ornabat, multiplici mox incremento innumera. Id miraculum super defunctæ domum descendit. Et ascendere nos dubitamus tam familiariter invitati? *Ex Surro.*

S. FERREOLVS MART.

18. Septembris.

ANnum à Christi ortu tertium supra trecentimum victoriis suis nobilem fecit FERREOLVS, non tam militum quàm Martyrum antesignanus. Hostis, qui cum ei bellandum erat,